

### III. REGNUM MORTUORUM.

Nro. 15.

---

*Secretum litterarum commercium inter vivos  
et vita functos*

III. Georg Digby, ex Campis Elysiis ad scrutatorem hodiernarum opinionum Cursus.

---

Elysium-Meum.-DieMartis 21. Mart. 1809. (Neov. 3. Mart. 1809)

**M**ihi videntur opiniones similes plantæ cerebro hominum insitæ, quæ tam altam in eo radicem fixit, ut non facile, verum vi eradicari queat. Hæc etiam ratio est, quod continenter ad Casam Charontis consistam, advenasque ad nostras oras considerem, eorum opiniones historicum mihi præbent vadium de statistico rerum in orbe sublunari Cursu.

Profecto mente non assequor opinionem ex aliquot annis ad nos perlatas. Illis quidam adventant, qui contendunt: se sæculo Pyrrhæ luci editos, infausta tempora prorsus vixisse, seditionum, bellorum funestorum monstris plena, O! ingeminant: Utinam 30 aut 40 annis præcessissemus, erant hæc pacata, felicia, ubertatis plena, Saturnia secla, ast nuno quies nulla, honestas exulat.

„Dum viguit, liquit, tua Rex alme! potestas; Pax viguit, tum firma fuit, regnavit honestas! Bene factum nobiscum, quibus tro hujus mundi theatro excedere liquit!” s.

Istis comparent alii, qui ita dicta Aesthetica infascinati videntur; execrantur, malumque genium, & dira quæque precantur Medico morboque, qui eos e vivis ad stygiam paludem expediverat; Heu! vociferantur, E-heu! quam infelix sors nostra! quod nobis mundo decedendum, crudelibus umbris occumbendum fuerit, hoc ipso tempore, quo intra unius anni decursum plura notatu digna eventa se offerunt, ac olim intercapedinesæculi. Oh si superiore astra vesci, O si momentosis stupendisque illis eventis perfrui nobis daretur!

Equidem ignoro: hi ne, an illi emotioris mentis dici, ac reputari debeant; at hoc calleo: præclarum nobilemque ante aliquot annos scriptorem de difficultate in mundo Independentiam sive subsistentiam conservandi multa evulgasse, quæ res longe aliam de hodiernis temporibus opinionem mihi ingenerat.

Etiamvero: Ut ob adjuncta nullus sis, sed continuo tui ipsius independentiam exhibeas, eustediaque, vel ex eo perquam arduum accidit: quod hæc existendi ratio prorsus naturæ adversetur. Sane vivimus solummodo ut Appendiculæ & adjectiva familiæ, ad quam pertinemus, in qua nati sumus, ceu appartenentiæ populi, cui adnumeramur, quasi aggregata massæ humanæ, Universi, supremi entis. Per abstractionem solum mentis, sensu modo {morali jus: isolatam, independentem nostri subsistentiam præstendendi habere pos-



sumus. At hoc sensu excellentissima fortassis omnium humanarum cogitationum, novissimum sublimis animi Characteris, purissima excelsæ virtutis, fructio est.

Plurimi homines usque se attollere norunt, quo se aliis plus minus acclinant. Detrahuntur interna vi. Nulla prorsus ratione soli videre, soli cogitare, soli judicare possunt. Continuo cum aliis vivunt, prout alii per alios. Et hoc fit nequaquam ex sympathetica quadam animi propensione, verum ex intrinseca imbecillitate.

Paucissimis mortalium datum est, ut polleant illa vi in Universo se se concentrandi, illa sublimi vi: vortici rerum resistendi, in quem projecti sunt, ut motum sibi solis proprium, directionem ex se promanantem in voragine conservent, perque vis suæ auctoritatem audacter torrentem pervadant, aut ei singularem directionem interea indant, quo alii miliones eo rapiuntur.

Si Centrales id genus homines plures darentur, humanæ societates difficilius orirentur, frequentioresque ac magis periculosas Crises subirent. Hæc proin sublimior vis nequaquam est optanda, atque solummodo in moralis nostri ipsius perfectionis ratione quaerenda. Ascetæ Philosophi eam possidere possunt; absque civilis mundi detrimento; imò exercere eam plane pro commodo augendæ sphaeræ cognitionum & mentis nostræ. At ex eadem ratione caute hi Philosophi provocandi sunt ad ingerendam se politiciis negotiis.



Ego illos omnium mortalium perfectissimos censeo, quorum moralis existentia ad morem plurimæ partis œlestium corporum, duos oppositos motus habet, qui ad ammutuissimam invicem concordant. Alter motuum horum est circa axem suum, alter circa Systema rerum, quarum partem efficiunt. Existunt eodem tempore, & pro se, simul & pro sui similibus, id est: pro sui perfectione, & pro communi salute, aut saltem in emolumentum quorumvis, quæ ea ambiunt.

Quæ mihi ceu Civi vetita, ea ceu homini permissa esse possunt. Contra, quæ mihi ceu enti cogitanti quadamtenus adversantur, ea positive mihi præcepta esse queunt, seu id fiat per adjuncta maximæ Societatis hominum, seu per ea, quæ huic aut illi politico vitæ generi me alligant.

Non est animus exemplis practicis notionem has explicare, & illustrare uberius; id solum asserere volo: certas a communi ordine alicujus systematis deflexiones, & aberrationes non quaquam semper enormi rigore judicandas esse; vicinumque non secus honestate præstantem virum haberi reputarique posse, etsi rationi nostræ non perfecte congruat. Sæpenumero promulgatio solum facti, alicujus sententiæ mentis, opinionis, est, quæ ei Immoralitatis notam conciliat, quod reapse sola publicitas rei ordini, quietique officere possit quæ nullo non tempore recipienda est.

Ludovicus XV. Contradui sponsalitia subscripturus duarum personarum, quæ jam

ex longo tempore convixerunt, dicere solebat: Fateor hæc opportunissima ratio est mutæ dissolutionis procurandæ, profecto Cogitatio non mala! at quam expert moralitatis in ore præsertim principis! in ore excelso nationis principis, in ore Christianissimæ Majestatis!

De argumento Independentiæ & sui consistentiæ volumina conscribi possunt, in fine denique, quasi ex quodam Labyrintho ad punctum devenitur, in quo omnes meditationes desinunt.

Adnectere lubet quasdam politicas quas manes ex mundo superiore adferunt, narrationes. Ordiam a Batavia, in qua Eluviones tantopere sævierunt: In urbibus: Gorco, Gouda, Thielæ, Arnhemio, & aliis fugientes Coloni plurium, quam 30 pagorum in ædes militares recepti, atque subsequo tempore diversos per Districtus distribuendi perhibentur.

Severissima Jussa emanarunt: ne quis fœneratorum communem Colonorum Calamitatem in sui utilitatem convertere peccora emendo, aut avehendo audeat.

Gorci quidam pretia victualium augere tentarunt, verum turpe hoc, & impium Commercium isthoc emtione atque distributione pretio levi solani tuberosi &c. impeditum est. Damna in territorio Altonensi enormia sunt, & in hoc multi Colonorum metu expilationis domos suas deserere prohibebantur, etenim in medio periculi fures animadvertabantur infelicium hospitia expilantes. Arnhemio

scribitur: a quodam qui plagam superiorem  
Cibariis obibat, in 4 domibus 19 Cadavera  
reperita. Ex averso Wikewoord familia aqua  
merca deprehensa; exanimis mater prolem  
uberibus admotam tenebat adhuc cane Cada-  
vera custodiente. Herfeldæ solum 30 Cada-  
vera oræ adjecta. Elatis fabri tumbas præ-  
parando non sufficiunt, ad tumulanda littori  
adjecta Corpora. Matrōna quædam cum pro-  
le sua horreo inclusa partu levata metu vires  
ammittendi eidem valedixit, parvulus arrip-  
tum glaciei frustillum, ore suo calefactum  
matri siti jamjam perituræ præbuit, omnes  
tres erepti discrimini, & Neomagi rescoillati.

*Monachio die 24. Febr.* Apud nos seqv.  
Edictum emanavit, Nuncium proprietariis do-  
morum: Omnes vacationem consecuti ultra  
10 horarum distantiam absentes milites ad  
vexilla sua repentenda vocantur, ædes mi-  
litares convocatos non capere possunt omnes,  
quapropter 1200 viri hospitii privatorum il-  
locandi. Vigore Excelsi Regii Jussi de 1. Julii  
1808 ad exercitum dati, hospitii dominus  
militi apud se degenti, jusculum nutriens,  
olus cum dimidia libra bubulæ carnis, aut  
in hujus defectu cibum farinaceum saturan-  
tem præstare erga 3 Crucigerorum depensam  
obligantur; a panis vero & potus præstandi  
obligatione eximitur. Quod domorum pro-  
prietariis notum redditur eo addito: quolibet  
ociduo illocationem militum ex altera urbis  
& dimidia parte in alteram suscipiendum esse &c.

*Augusta die 26. Febr.* Supremus agminis Gen. Dux Oudinot hesterno pomeridiano isthuc adpulit, hospitio in ædibus B. a Libert exceptus.

Die 28. Febr. Cæsareus Austriacus secretioris Conclavis Cursor Bair Parisiis Vindobonam per Stuttgardam profectus est.

Viginti quatuor Officiales militares Sveci hucusque ad Depositorium in urbe Longwi detenti, his diebus in Depositorio Nannetensi expectabantur.

Operæ in portu Chariburgensi, hodie Napoleonis nuncupato ex aliquanto tempore duplicata alacritate continuantur. Nulli impensæ parcitur, ad præstantem portum hunc perficiendum.

Madrito nuncii ferunt: venditionem ex bonis piarum foundationum in Hispania jam ante bellum inchoatam rursus continuari.

*Amstelodamo 26. Febr.* Rex noster præcipuam curam habet damnificatos per vim aquarum adjuvandi, tum aggeres, emendandi, pro futuro contra irruptiones aquarum præsidio. Proh dolor! enim sub priore regimine ob bella hi neglecti.

Nuncii Burgis memorant: Officialem militarem cum litteris publicis urbem prætergressum, adnunciassè: agmen Mermethianum Opportum ingressum, magno jubilo ab Incolis exceptum fuisse.

Parisienses paginæ de 28. Febr. memorant: sequens momentosum nuncium: Cæsaraugustam deditionem fecisse, Gallicanas Cœpias urbem & arcem ingressas esse.

Mareschallus Lannes quasvis Transactio-  
nis oblationes rejecit, at contra quibusvis  
Arragonibus, qui se defenderunt, universa-  
lem & magnanimitatis plenam veniam nomi-  
ne Suae Majestatis concessit.

Constantinopoli gallicae paginae de 25.  
Jan. referunt infelicem hanc urbem denuo  
theatrum funestorum actorum evasuram fuisse.  
— Plenipotentia ad Congressum Pacis  
in Valachiam expediti, Viddini adhuc mo-  
rantur, videnturque quævis negotiationes cum  
Generale Duce Prostorowiky de integro ab-  
ruptæ, hic Gen. Dux Principi Turcico ad  
Tractationes cum Russia profecturo litteras  
liberi Commeatus Jassium proficiscendi de-  
negasse perhibetur.

#### B I O G R A P H I A.

*Digby* (Lord Georgius) excellentis in-  
genii Nobilis Anglus, patre Joanne Comite  
Bristolæ 1712 natus. „Erat, ait recentior  
scriptor, vir singularis, cujus vita contradi-  
ctoria complectebatur; scripsit adversus Ca-  
tholicismum, & sacra Catholica amplexus  
est, fervidus erat aulæ adversarius, & ei se  
devovit. Præclaris licet mentis dotibus do-  
natus, sibi amicisque continuo nocuit, sem-  
perque imaginaria fortitudine ductus infelix  
erat moderator. Legem Test propugnavit,  
quamquam ipse Catholicus esset, & die na-  
tali veræ Philosophiæ, Astrologiæ animum  
addixit. Vivere desiit, ut Comes Bristolæ  
Anno 1676.